


Sammelband

Pd
115

Johann Meyer



TRAITÉ

DE LA RELIGION CHRÉTIENNE

Par rapport à la vie civile

CIVILITÉ

Il est voir que l'Église n'est pas un État
et que la puissance des Princes ne s'étend
jusqu'à donner sur la foi.

Ouvrage traduit de l'Latin de

SAMUEL PUFENDORF

Docteur en Droit

de la ville de Saint Augustin

à Paris chez

la Librairie de la Cour

chez M. de Sainct Amant


à Paris chez

M. de la Motte

à Paris chez

M. de la Motte





2.
DISSERTATIO

DE JURE

SUMMÆ POTESTATIS

Circa conscientiam civium.

AUCTORE

Rectæ Rationis dictamine.

Lf 358



COLONIÆ,

Apud NICOLAUM SCHOUTEN.

M. DC. LXXXVI.

fo-
vini
unt
eti,
se-
icis
imi
em
ro-
evii
nes
sub
tes.
&
8.
de
ren
na-
lee-
gen
Is
gin-
te-
ds,



Quemadmodum imperandi ita
etiam obtemperandi est modus.
Cic. 3. de Leg.

Imperii vis omnis in consensu
obedientium est. Liv.

Salus Populi suprema lex esto.

Facta, quæ lædunt, pietatem,
existimationem, verecundiam
nostram & (ut generaliter dix-
erim) contra bonos mores fiunt,
nec facere nos posse credendum est.
l. 15. ff. de condit. Institut.



PRÆFATIO.



Uicunque dissemina-
ta in vulgus ad de-
fensionem imperii
Papalis excogitata
dogmata diligenter
examinat, facile perspiciet, Ec-
clesiæ Romanæ seu capitis ejus
PAPÆ unicum esse scopum,
ut universus terrarum orbis à
suo nutu & arbitrio pendeat,
unumque fulgeat sceptrum, u-
nius adoretur purpura; ad cujus
pedes libenter deponunt Reges
diademata, & ab eo iterum acci-
piunt tanquam à terrarum do-
mino, imo Deo, ut in Gratiani
decreto appellatur *lib. 1. dist. 96.*
can. 7. Quemadmodum unus
Deus in cælis, sic solus Deus dici-

P R Æ F A T I O.

tur in terris, supra omnia humana elevatus ad divinitatem ipsam, neque post Deum quicquam habens supra se; hinc olim cecinere de *Sixto*. 4.

Oraculo vocis mundi moderaris habenas

Et merito in terris, crederis esse Deum;

& alter de *Alexand*. 6.

Cæsare magna fuit, nunc Roma est maxima Sextus

Regnat Alexander, ille vir iste Deus.

Et sic passim magna hæc, & inauditas blasphemias cum de ejus persona, tum de potestate, qua ornatus est, Romanæ Religionis antistites prædicant: scilicet illum esse successorem Petri, non ex *testamento* ut credere fas est, sed ab *intestato* per vim & fraudes; vicarium Christi, Deum
in

P R Æ F A T I O.

in terris, infallibilem, omni potentem, habentem claves & cæli & inferni, nec non potestatem remittendi peccata, ac de lege Dei dispensandi; ipsi supremam absolutamque esse potestatem in Reges & imperatores, quos non solum Regiâ dignitate exuere, verum etiam è medio tollere si libet potest, quæ omnia continentur in *dictatibus* Papæ a Greg. 7 anno 1076 contra Henr. 4 publicatis. Sic etiam Glossa decret. Greg. lib. 1 tit. 7 can. 4 dicitur *habere cæleste arbitrium*, & ideo etiam naturam rerum immutat, *substantialia unius rei applicando alii*, & de nullo potest aliquid facere, & sententiam, quæ nulla est, facit aliquam, quia in his, quæ vult, est pro ratione voluntas, nec est qui ei dicatur *ita facis*, ipse enim potest *supra*

P R Æ F A T I O.

*pra jus dispensare, idem de ini-
justitiâ potest facere justitiam, &
corrigendo jura & mutando, &
plenitudinem obtinet potestatis.*
Prædixit hoc olim Johannes cap.
16. Apocap. vers 56. cum inquit.
Et datum est ei scil. bestiae os lo-
quens magna; & aperuit os suum
ad blasphemiam adversus Deum,
ut convitiis afficeret nomen ejus.
His aliisq; impiissimis commen-
tis animum ab ineunte ætate
imbuunt, & innumeris errori-
bus implicant, præjudiciis oc-
cupant, quibus homines, ubi
provectioris sunt ætatis, cre-
dunt, tanquam cognitæ verita-
ti; quippe

*Quo semel est imbuta, recens
servabit odorem.*

*Testa diu: Eaq; pertinacissimè
tueri ac defendere perseverant,
tanquã divina essent documenta,
iisque*

P R Æ F A T I O.

iisque temerè assentiuntur, quasi ab eo profecta, qui supra omnia elevatus, labi, errare, decipi, & falli nequeat: sic enim habetur in dictatibus Greg. 7. ad *A.* 1076. *quod Ecclesia Romana nunquam erravit, nec in perpetuum scriptura stante errabit.*

Facile est animum tot præjudiciis & impiïssimis commentis captum, flectere quocunque velint & ad quævis admittenda facinora impellere; quippe agnitâ Ecclesiæ seu capitis ejus Papæ infallibilitate, quisque qui ejus membrum se esse profiteretur, necesse habet fateri se obligatum esse & quidem in conscientia, ad credendum, faciendum & exequendum, quicquid Ecclesiæ statuerit, decreverit, verum, justum, æquum, & suæ salutis utile & neces-
sa-

P R Æ F A T I O.

sarium esse ; omnis enim veritas , æquitas , justitia per se obligat conscientiam , quod Ecclesia seu Pontifex jubet vel imperat , verum , & justum esse præsupponitur , consequenter conscientia imponit obligationem , ad illud exequendum ; qui vero habet facultatem disponendi de conscientia , facile totum hominem potestati suæ subicere queat , & ad quævis facienda inducere ; quippe quoniam finis illorum quæ obligant conscientiam , ad animæ beatitudinem & salutem pertineant , nihil est tam arduum vel difficile , quin libenter quis suscipiet , nihil tam pretiosum , tam amabile vel jucundum , quin libenter ejus jacturam homo faciet , ad animæ salutem obtinendam. Hoc jacto imperii fundamento , eo pro-

P R Æ F A T I O.

processit pontificiorum audacia, ut innumerabilia promulgarint decreta, quibus statuerunt, regum & imperatorum potestatem, eorumque personam ab Ecclesiastica dependere potestate, quorum in numero sunt quæ hic sequuntur; scil.

Quod solus Romanus Pontifex sit universalis. Quod solum Papæ pedes Principes deosculentur. Quod unicum sit nomen in mundo Papæ videlicet. Quod oporteat esse gladium sub gladio, & temporalem auctoritatem, spirituali subijci potestati.

Quod Pontifici sit ius vitæ & necis in Reges. Quod summus Pontifex & Ecclesia Romana potestatem habeat subditos solvere juramento fidelitatis dato Principi, eumque regia dignitate posse exuere, & alium ad ejus

P R Æ F A T I O.

jestatis fastigium provehere. Hæc
aliaque multa perniciosissi-
ma regnis & rebuspub; quorun-
dam Pontificiorum decreta, in
eorum dictatibus & Bullis in
quibusdam annalium monu-
mentis à *Baronio*, *Bzovio* aliisque
nobis relictis, occurrunt colli-
genda. Verum quoniam ipsis
videatur difficillimus ad uni-
versalem Monarchiam aditus, ni-
si universus terrarum orbis ean-
dem amplectendo fidem & re-
ligionem, iisdem involvatur te-
nebris, hinc sævissimis quibus-
cunque persecutionibus prose-
quuntur, qui fidei & re-
ligionis causa ab illis divortium
faciunt: Ita ut vix aliqua sit
mundi plaga, ubi non supersunt
immanissimæ & sævissimæ per-
secutionis vestigia. Ad obtinen-
dum vero finem, quem sibi pro-
po-



P R Æ F A T I O.

posuere, temporali potestate & imperio opus habent, ideoque simplicissimæ plebi, cujus iudicium tot præjudiciis occupatum est, ut nullus in mente locus sanæ rationi sit reliquus, persuadeant, summo imperanti jus potestatemque esse, quâ potest cives suos à Romanâ fide, quam solam veram statuit, corporaliter id est omni tormentorum & suppliciorum genere ad eam amplectendam cogere, unde fit ut facile manus commodent, ad exequenda crudelissima & sanguinolenta, attamen juris specie ornata, principis sui consilia. Reges autem vel quia sint natura proclives ad ambitionem, ideoque semper sibi plus juris & imperii, quam ipsis concessum est, arrogare cupiant; vel quod iisdem superstitionibus obnoxii

P R Æ F A T I O.

iisdem præjudiciis & falsis de Romana fide & religione commentis ac deliriis teneantur, facile specie religionis inducuntur, ut pro servitio tanquam pro salute pugnent, & in unius hominis jactationem fidelissimorum civium sanguinem profundant, eosque odio & sævitæ adversariorum immolent. Atque hinc in vicino regno, ubi omnia ad Episcoporum & Jesuitarum detestandam & perniciosissimam ipso regno libidinem, ineantur Consilia, promulgantur leges, jura dantur, tot hominum millia omni suppliciorum genere, & quibuscunque nunquam excogitatis cruciatibus vexantur miserè, quia nullum humanum in conscientiam agnoscentes imperium, fide abdicare denegant, conscientia testimonio
con-

P R Æ F A T I O.

convicti, eam puram, veram, ideoque extra illam nullam ipsis salutem sperandam esse. Hæc ergo mala, quibus obruuntur in vicino regno focii nostri, usurpatum ideoque illegitimum illud in conscientiam imperium, injusta illa vis, quam quotidie conscientia inferri intelligimus, me impulit, hanc de jure summæ potestatis circa civium conscientiam, dissertatiunculam prælo subicere. Videtur enim officium, quod homines hominibus, à natura cognationis vinculo sibi invicem divinctis, & ejusdem societatis membris debent, postulare, ut opitulentur ei, quantum possunt, qui injustè ab aliquo invaditur & injuriâ afficitur. Homines enim hominum causâ generati sunt, ut ipsi inter se, alii aliis

P R Æ F A T I O.

aliis prodesse possent. Cic; i. offic.
Quod si illud officium præter-
mittamus, tam in vitio su-
mus atque ille, a quo socius
invaditur: Duo enim inquit
injustitiæ genera sunt: unum
eorum, qui inferunt: alterum eo-
rum, qui ab iis, quibus infertur,
si possint, non propulsant inju-
riam. Quippe, nobis non solum
nati sumus, verum ortus no-
stri, partem patria, partem a-
mici & socii vindicant. Quem-
admodum vero dupliciter in ali-
quem potest fieri impetus, vel
per disceptationem, vel per vim,
ita dupliciter quis potest defen-
di; confugiendum vero ad illam,
si uti non liceat posteriore. Quo-
niam itaque non possimus aliâ
ratione defendere socios, nisi
per illam, cujus prius mentio
fit, officium videtur à nobis po-
stu-

P R Æ F A T I O.

stulare, ut ostendamus rationis præeunte dictamine, quam injustè, quam iniquè, tot tantisque malis vexentur in vicino regno socii nostri, quo clarius demonstremus injuriam quâ, afficiuntur, eo magis patebit eorum innocentia, quæ fortasse efficacissimum erit incitamentum, quo Principes, & Magistratus, à quibus benignissimè recipiuntur, quotquot sese in eorum tutelam & fidem permittunt, magis magisque incitabuntur, ad eorum defensionem suscipiendam. Interim æquo animo mala sunt perferenda, donec Deus sese misereatur eorum, & Ecclesiæ suæ pristinam libertatem & tranquillitatem, penitus extirpatis sævissimis & crudelissimis ejus persecutoribus, reddere placuerit. Lento quidem

P R Æ F A T I O.

dem gradu ad vindictam pro-
cedit, sed iram tarditatem-
que supplicii gravitate com-
pensat.



DIS.

DISSERTATIO

DE JURE

SUMMÆ POTESTATIS

Circa conscientiam civium.

Uo major actionum, quæ a nobis proficiuntur, cum rectâ ratione est convenientia, eo ampliora damus documenta, quâ sumus origine nati; scilicet eo magis præstantia generis nostri præ cæteris creaturis, imprimis belluis, tanquam in illustri hujus mundi theatro posita, conspicitur, unde radii divinæ istius auræ particulæ animæ nostræ rationalis (in quâ reverâ illa præstantia sita est) majori cum fulgore omnium oculos afficiunt. Verum quo magis actiones nostræ a rectæ rationis tramite aberrant, eo magis ab

A

ab

ab humanâ naturâ recedimus & brutis animantibus nosmet ipsos facimus similes. Actiones rectæ rationi consentaneas, quibus a brutis distinguimur, illas vocamus, quarum fons & origo est recta ratio, quæ itaque a nullo ente, nisi ratione prædito proficisci queant, ideoque homini solum, quatenus est particeps & capax rationis, propriæ, quales sunt quæ a prudentiâ, justitiâ, fortitudine, temperantiâ (seu quod consistit in appetitus cum ratione concordia, & omnibus animæ facultatibus harmoniâ) producuntur, cæterisque virtutibus respondent. Actiones, quæ a rectæ rationis dictamine deviant & alienæ sunt, ideoque nobis cum brutis sunt communes, illæ dicuntur, quæ a solâ inclinatione & naturæ impetu, nullo mentis præcedente discursu, proveniunt: cujus naturæ sunt omnes appetitus, tam boni quam mali, qui à rectâ ratione non moderantur atque ducun-

cuntur; talis est appetitus procreandi, amor erga id, quod a nobis progenitum est, defensio & conservati sui, aliaque id genus; quamvis enim hi naturæ stimuli quidem in se boni sint, attamen si cæco quodam impetu illis inserviamus, eum scil. in finem, ut voluptati satisfaciamus, si nosmetipsos defendamus, quia naturâ impellimur ad conservationem nostri, a brutorum instinctu nihil differemus, & eatenus ejusdem naturæ esse dici possumus. Verum ad quod naturâ bruta incitantur, illud a nobis duce ratione peragi oportet: Forma quippe vel figura hominem a cæteris animalibus non magis distinguit, quam equus aut elephas, & quæcunque alia sunt animalia, a se invicem, diversis induta figuris, discernuntur. Si eâdem formâ ornatum quoddam animal videremus, quid præ cæteris præter illam figuram haberet præcipuum. Eiusdem naturæ cum illis, quos primo

4 *Dissertatio de jure*

loco descripsimus, hi impetus sunt, quorum mater est odium, ira, invidia, prioribus tamen eo longè peiores, quod hisce agitatus homo, non solum humanam, id est, rationalem naturam exuat, verum in ferocissimum animal transmutetur, cum quo nulla societas, nulla amicitia, nulla consuetudo coli potest.

Verum enimvero unde illorum deducemus originem, qui adeo ab humanâ naturâ degenerati sunt, ut quibuscunque sævissimis feris longè crudeliores sint, utpote qui sævitiâ, irâ, crudelitate Leoni, urso, Draconi, & si quod crudelius animal terra gerit, antecellunt. Raro quippe ejusdem generis animantes mutuo se devorant aut lædunt, nisi irritati, ut Plinius testatur *lib. 17.* Hi vero, qui ab unâ eademque causâ ortum trahere volunt, ejusdem rationis participes, ejusdem societatis scil. humanæ membra se esse profitentur, iisdem
chri-

christianorum sacris initiatos se dicunt, idem Deum, idem filium, idem spiritum venerantur: Hi (inquam) nullâ laceffiti injuriâ nocte dieque quæcunque acerbissima & crudelissima excogitant mala, quibus quotidie excruciant & vexant socios suos, id est tales, quibuscum amicitiam & cognationem colere ipsa natura voluerit: Natura enim quandam cognationem inter homines constituit, ideo consequens est hominem homini insidiari nefas esse, inquit Florent. *in l. 3. ff. de Just. & Jur.* Quisque facile conjecturare potest me de istius bestię adoratoribus sermonem habere, cujus mentio fit in Apocalypsi *Joan. cap. 13. vers 2.* ubi dicitur, quod pedes ejus sint tanquam ursi & os veluti os leonis. Ita ut nil nisi speciem præse ferat summę crudelitatis & sævitię. Quid hæc bestia aliud significat, quam monstrum illud horrendum, quod Romæ sedem suam collocavit,

6 *Dissertatio de jure*

ad excidium, perniciem & interitum generis humani natum, quod nullam sibi aliam originem vindicare potest, quam ab ipso Acheronte, cujus furiis agitatum, quæcunque atrocissima & crudelissima in humanum genus machinatur mala, ita ut neque immanissima barbaries, neque ferocissimorum animalium feritas cum hujus inauditâ sævitiâ queat comparari.

Quanta rerum humanarum sit vicissitudo, quam variis mutationibus illæ sint obnoxia, vel una urbs Roma testatur: utpote quæ olim ab Ethnicis habitata, justitiæ, æquitatis, omniumque bonarum artium mater fuit, ubi tanquam in sinu suo fovebantur omnes bonæ disciplinæ, jam inculta ab iis, qui Christiano specioso nomine se insigniunt, omnium detestandorum scelerum, nefandorum flagitiorum, & horrendorum criminum officina est & conciliabulum. Non opus est exemplis ex antiquis rerum

rum monumentis petitis, quibus hujus monstri descriptionem probarem. Intueamur tantum miseros ex Galliâ ad nos profugientes quotidie socios nostros, omnibus spoliatos facultatibus, quibus vitam tueri necesse est, omnibus exutos bonis, possessionibus expulso, imo omnium rerum charissimis, maritis liberisque, orbatos: Convertamus oculos in eorum lacerata mille tormentis corpora, vulneribus, abscissione membrorum, aliisque nunquam ante hac excogitatis cruciatibus deformata. Verum quid causæ fuit, quare crudelissimis hisce & inauditis vexentur & afficiantur malis? Num in Regem ejusque sacratam majestatem peccarunt? num vitæ ejus paravêre insidias vel imperio morem gerere recusare? num intestina bella meditavêre, vel regiam religionem turbare voluêre? num cultores ejus calumniis persecuti fuêre vel aliquâ affecerunt injuriâ, aut

quid aliud ab iis molitum est, quod tot pœnis, tot acerbissimis malis vindicari ac puniri meruerint. Nihil horum ipsi Jesuitæ, auctores & executores vigilantissimi inmanis hujus barbariæ, fateri necesse habent, quoniam contraria adsunt rerum testimonia: Verum in causâ hæc sunt, scil. insatiabilis sceleratus habendi amor, imperandique libido non solum in corpora, sed & conscientiam hominum. Quam regnis rebus publicis que damnosissimam cupiditatem specioso religionis Romanæ promovendæ zelo artificiosè tegunt; quasi nihi ipsis. Magis cordi esset, quam ejus propagationem quibuscunque rationibus curare, illam unicum & præcipuum scopum esse, quem in toto vitæ curriculo sibi habent propositum, quotidie clamant, de illâ nocte dieque esse sollicitos aliis persuadere volunt: Cum intus sint lupi rapaces, & propter insignem illam rapacitatem leoni similes dicantur, quâ
veluti

veluti leoninis faucibus, omnia devorarent, amplissimis mundi divitiis per vim & fraudes, nec non artes purgatorii atque Missarum, ad se pertractis: Similes istis Phariseis, qui domos exedunt viduarum, idque in speciem utentes longis precibus, ut habetur *Matth. 23. vers 14.* Externa hac sanctimoniam larvâ induti, & fucatae religionis præ se speciem ferentes in Regum Principumque aulis histrionem agunt, eorumque pectora multis fraudulentis & falsis opinionibus imbuunt: quippe cum in animum induxerint reformatam religionem ejusque cultores penitus extirpare, multas de eâ excogitarunt calumnias, ut eam odiosam redderent Principibus: Romanam unicam, sanctam, veram, Catholicam, Apostolicam, a solo Domino fundatam, Ecclesiam esse, extra quam nulla salus est (inquiunt) Reformatam vero crudelissimam, falsissimam, insolentissimam omnium sectarum

ctarum, & Reipub. perniciosissimam
 esse, ferro igneque fundatam, ut ca-
 lumniosè inquit P. Maimburg, in
Hist. suâ de Calvinis. cum scil. in
 finem, ut incitarent Regem ad ejus
 cultores, tanquam hæreticos, rebel-
 les, seditiosos omni suppliciorum
 genere prosequendum? imo igne,
 ferro, & laqueo, e medio tollen-
 dos esse religionis dogma est: &
 ad eorum cædes, necem, parricidia,
 Principes adeo obstrictos esse vo-
 lunt, ut qui ad illa manus non
 commodent, non tantum æternâ
 salute privari digni sint, verum
 etiam a Papâ tanquam negligentes
 commune bonum è regio folio de-
 turbari, imo mortis pænâ affici
 possint, quoties summo Ecclesiæ
 Pastori visum fuerit, ejus necessi-
 tatem & utilitatem id requirere.
 Principi curam incumbere, imo
 necessitatem impositam esse, ne
 permittat ullam religionem, nisi
 quam ipse profitetur, Romanam
 scil. in regno suo excerceri; ipsi
 jus

Summæ potestatis, &c. II

ius potestatemque esse, ex naturâ
& vi summæ potestatis, quâ po-
test omnes cives suos, ab eâ dis-
sentientes, cogere quibuscunque
rationibus ad eam amplectendam,
inobedientes tanquam summæ
potestatis violatores, læsæ Ma-
jestatis reos, perturbatoresque ci-
vilis societatis, inauditis suppliciis
afficere, vel e regno ejicere, bona
fisco addicere, aut alio quocun-
que modo in eos animadvertere.
Si obstet data fides, a Principe vio-
lari potest, quoniam hisce hære-
ticis nulla sit fides habenda. Illos
persequendo non tantum immor-
talem sibi Principem gloriam &
famam acquisituum, sed, quod
longè præstantius est, æternam
salutem & beatitudinem, tan-
quam crudelissimæ hujus persecu-
tionis & tyrannidis præmium de-
portaturum. Hæc sunt eorum in-
citamenta, quæ in ipsis Sacri palatii
penetralibus summorum impe-
rantium in aures susurrant: addi-

tis aliquando minis, si precibus
 obtinere nequeant, ut sanguino-
 lenta sua consilia executioni man-
 dentur; donec tandem importunâ
 ambitione fatigati, imo territi sæ-
 pissimè minis Reges Principesque
 (ad quævis enim scelera patrandâ
 ipsos idoneos esse expertes) huma-
 nam naturam deponant, & hisce
 monstris planè fiant similes: ita ut
 neque divina neque humana jura
 crudelissimis admittendis in cives
 suos facinoribus deterrere & avo-
 care Principem valeant; quippe
 quemadmodum homo secundum
 leges & æquitatem vivens; perfe-
 ctissimum & mansuetissimum ani-
 mal evadit, ita ubi a lege & jure
 recedit & alienus fit, pessimum
 omnium est animalium, ut inquit
Aristotel. j. polit. Pactorum, contra-
 ctuum, etiamsi juramento sint fir-
 mati, non amplius habetur ratio,
 dummodo Romanæ Religionis
 propagationi consulatur: tritum
 jam illud, si violandum sit jus,
 Roma-

Romanæ Religionis promovendæ gratiâ violandum est; naturæ juxta gentium jura pedibus polluere generosi & excelsi animi, qualem Regem habere decet, argumentum est. Regis est leges condere & jura dare, civis & subjecti secundum eas vivere, iisque teneri, & obedientiam præstare. Quippe *vivere ut velis id est regem esse*: Si libet licet, an nescis te Imperatorem esse, & leges dare, non accipere, dicebat olim Julia Casiani Imp. noverca. Hæc aliaque impiissima dogmata, ubi in animo altiores egerint radices, acres stimuli sunt, quibus Reges Principesve incitantur, adeo crudeliter & immanè cives suos tractare, quam hodiè experiuntur miserrimi in vicino regno socii nostri. Qui amore, studio, & fide erga Regem, ne ipsis quidem Romanæ religionis cultoribus cessere, jam pro summis inimicis habentur: Qui pro Regis sui gloriâ & majestate, regnique salute

salute vitam profundere nunquam recusaverunt, tanquam gloriæ ejus invidos, & vitæ proditores omnibus acerbissimis malis obruuntur. Qui denique tuorum Ludovice, (utinam in memoriam revocares) illustrium majorum capiti Galliarum diadema imposuere, Borboniamque domum ad regiæ hujus dignitatis fastigium evexere, infensissimorum hostium instar persequuntur. Si talia suadeat Romana religio, quis non satius esse arbitretur, omnem omnino religionem aspernari, quam talem suscipere, quæ non modo impia & Deo exosa est, verum etiam tollendo officia (quibus *nulla vitæ pars, neque publicis neque privatis, neque forensibus, neque domesticis in rebus: neque si tecum agas, neque si cum altero contrahas, vacare potest; ut inquit Cic. 1. off.)* omnem prorsus amicitiam, fidem, justitiam, liberalitatem, omnem denique humanam societatem tollit: Ita ut verum illud Ennii. *Nulla san-*

sancta societas, nec fides regni est.

Quippe officiorum permutatio arctissimum vinculum est societatis, illo dissoluto tota corrui societatis fabrica, & homines sibi invicem diffidentes vitam ferarum ritu transigunt. Imo Atheum esse præstat, quam talem Christianum, quamvis ille credat nullum esse Deum, qui nobiscum aliquid habeat commercii, neque quid agimus animadvertat, ideoque fortasse nullam poenam metuens facilius quævis scelera admitturus sit, attamen generi humano non adeo perniciosus futurus est, atque ille, qui vesanâ & impiâ superstitione ductus, semet ipsum credat obligatum, cum æternæ salutis suæ dispendio, socium puræ, sanctæ & conscientia suæ consentaneæ religioni addictum, morte longè gravioribus suppliciis afficere, donec deficientibus resistendi amplius viribus eandem amplectendo religionem, semet ipsum

im-

immani & impiissimâ superstitione inquinare summo cum animi dolore coactus fuerit.

Si illud jus regium vocamus, quod non in corpora tantum, sed & conscientias hominum dominandi (sæviendi potius dicam) jus Principi tribuit, non miror antiquos olim Reges Tyrannos appellavisse; quæ enim major sævitia excogitari possit, quam cogi fidei suæ, in quâ quis æternam salutem & beatitudinem repositam esse conscientia testimonio convictus est, renunciare? Vitam, rem inæstimabilem, alicui sine justâ causâ eripere crudelissimum est: Sed longè crudelius est eo angustiarum aliquem adigere, ut coactus sit æternâ vitâ, id est, summâ & unicâ suâ beatitudine abdicare, pro quâ obtinendâ mille inauditos cruciatus, & tormenta perpessus fuerit, imo mori libenter voluerit, ut ærumnarum esset finis, & gloriosâ morte ad æternam illam transiret.

fîret beatitudinem. Longè meliorem conditionem brutorum animantium, quam civium sub tali Rege existimo; quippe summum malum, quo a nobis affici possunt, est vitæ privatio, posthanc nulla ipsis voluptas speranda aut tristitia metuenda est: Rex vero talis non tantum civem vitâ privare, quod tolerabile est, verum etiam æternæ morti tradere, quâ nihil magis horrendum, si lubet, posset ex vi regiæ potestatis: Quippe ex plenitudine quâdam summæ potestatis cogere aliquem, fidem suam, extra quam nullam salutem esse quis certo persuasus est, deserere, & falsam Deoque exosam sequi, quid aliud hoc est, quam hominem æternâ vitâ privare, & æternæ morti mancipare velle? Quoniam autem nonnulli impostores, qui quotidie Principis latus tegunt, hæc humano generi perniciosissimas, de jure summi imperii opiniones per universum terrarum orbem

bem disseminare conantur, non a ratione alienum fore duxi hanc disputationem paulo altius repetere, ut omnibus posset constare, quantum damnum regnis & rebuspub. exinde metuendum sit, ideoque huic malo tempestivè obviam eundum, & penitus ex animis hominum eradicandum esse, deinde ut nobismet ipsis cavere possimus, ne animus pestiferâ hac opinione inficietur, quæ eam ob causam a quibusdam tantum excogitata est, ut alienas possessiones & facultates devorarent, in quorum numero sunt, quos vulgus superciliosos vocat Monachos, & pii sacerdotes beatorum Myllorum cultores indefessi & vigilantissimi, ut ad mensuram inguinis essent heredes & ter sanctissimi pontifices impostores subtilissimi.

Primo certissimum est summum imperium ex populi consensu tanquam ex fonte suo originem habere, quia autem supremæ potestatis

tis causa est voluntas populi, ideo quoties oritur quæstio de jure summi imperii, illa voluntas diligenter examinanda est, eaque ita explicari debet, ut semper profit, nunquam obfit civitati: Quippe notum est eam ob causam summum imperium introductum fuisse, ut eo tanquam suo fundamento & basi societas civilis esset subnixæ; quoniam autem eum in finem in societatem coivere mortales, ut semetipsos suasque possessiones & facultates, in statu naturali singulis momentis perditorum hominum insidiis & pravis machinationibus expositas, in securitatem assererent, hinc summum imperium constituere, quod huic societati talem securitatem præstare valeret, hoc autem imperium eo extendere velle, ut societati non prodesset, verum obesset, insana & ab omni ratione alienissima esset interpretatio: Quippe quicunque hominem considerat tanquam animal

animal, cui nullius rei studium altius insitum est a naturâ, quam studium conservandi sui, quam ob rem omnia, quæ ad illam conservationem pertinent, appetit vehementer, quæ vero sibi nocitura videantur, ab iis semper abhorret & quantum vires ferunt, a se depellere nititur: quis (inquam) hisce animo perpensis, sibi persuadere posset, hominem hoc tenerrimo erga se amore affectum, adeo ab humanâ naturâ degenerasse, ut prorsus sui oblitus, aliquid voluerit decernere, quod ipsi perniciosum & damnosum esset futurum? optimè Modestinus in l. 25. ff. de leg. *Nulla Juris ratio aut equitatis benignitas patitur, ut quæ salubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad severitatem.*

Hisce præmissis probare conabimur populum tam amplum imperium nunquam in eum, cui societati

cietati tuendæ præfecerunt, concessisse, ut pro lubitu & arbitrio suo non solum in corpora, sed etiam animos dominaret, ideoque Regem, qui talem potestatem in cives exercere velit, ipso jure regiâ dignitate summoque imperio excidere, quoniam legitimum imperium in usurpatam degenerat potestatem, cui obedire nullo jure cives tenentur.

Primum argumentum deducimus ab amore hominis ad conservandam libertatem naturalem. Novimus Deum ter Opt. Max. initio hominem liberum, id est nullius nisi creatoris sui arbitrio & voluntati subjectum creavisse, quam ob rem nulli stimuli vehementiores illis, quibus continuo incitatur ad libertatem, quam semel nactus est, non solum conservandam, verum & perditam recuperandam, nisi fortior ratio ipsi suadeat, ei renunciare, ita ut omnes libertate naturali ex æquo gaudeant, ejus-

eiusdem sint conditionis, id est sibi invicem æquales, inde rectè Quintil. Declam. 13. *Quid non liberum natura genuit? Taceo de servis, quos bellorum iniquitas in prædam victoribus dedit, iisdemque legibus, eâdem fortunâ, eâdem necessitate natos. Ex eodem cœlo spiritum trahunt; nec natura ullis, sed fortuna dominium dedit.* Et Ulpianus. in l. 4. ff. de Just. & Fur. inquit. *Jure naturali omnes homines liberos nasci.*

Hæc autem libertas a Cicerone potestas vivendi ut velis, à Justiniano facultas naturalis, quod cuique facere libet definitur. Talis scilicet facultas, quæ a me ipso dependet, & mihi jure a nemine eripi potest: Ut meo, non alieno vivam arbitrio, & omnibus meis actionibus, dictis, factis modum & regulam statuas, ad quam ea formari dirigique oportere judicavi. Fortior autem ratio, quâ homo impulsus, (vel coactus potius dicam) fuerit ejus jacturam facere, est conserva-
tio

tio sui ipsius: Postquam enim aureâ delapsâ ætate, ferrea prodiisset, omnium scelerum mater, innumerabilia statim invaluere nefanda facinora, quæ in se invicem moliebantur mortales; quibus malis mederi non potuerunt, nisi societatis civilis remedio, itaque libertatem naturalem abjicere, quam quotidie tot malis & periculis jactari satius esse duxerunt; quam ob rem societatem civilem excitarunt, id est nonnulli inter se pacti sunt, ut sibi invicem mutuam conferrent opem, quâ salutem & tranquillitatem adversus quascunque improbas machinationes & insidias tenerentur. Imprimis, ne vana & inanis esset hæc in mutuam societatem conspirantium multitudo, animorum & virium unionem necessariam arbitrabantur; quippe si unus quisque suo arbitrio propriam defensionem suscipere vellet, summa oriretur confusio, & sibi invicem essent impedimento, quo minus

nus

nus publicæ salutis & utilitati confuleretur, imo totius societatis structura mutuâ hac dissensione labefactaretur, & interitum minaretur, quemadmodum enim vis unita fortior, ita distracta debiliior; Itaque ut hæc incommoda declinarent, elaborarunt ut singulorum actiones ad unum eundemque scopum collimarent, omniumque una esset voluntas, eamque ob causam unum vel plures societati tuendæ præfecerunt, qui summum haberet in omnes imperium, quique statueret quicquid communis salus postularet, & cujus una voluntas esset pro voluntate universæ multitudinis, cæteri obligati id ratum habere & exequi, quicquid ipsis a societatis Principe imperabatur; quod si quis morem gerere recusabat, in eum ex vi summi imperii animadvertere poterat: Ex quibus perspicimus non sponte suâ scilicet ex liberâ voluntate, verum necessitate

tate coacti in societatem coivisse mortales, ideoque præsumuntur tantum de naturali libertate detraxisse voluisse, quantum illa societas, quam erigere in animum induxissent, postulabat, cætera autem libertatis jura, quæ cum naturâ istius societatis consistere possent, sibi integra servasse: tantum itaque imperium summo imperanti concessum credere debemus, quantum societas civilis requirebat; cum autem hujus societatis finis sit vitæ, bonorum, aliarumque rerum, quæ ad vitam tuendam pertinent, defensio & conservatio, ideo illud imperium, quod summum vocamus, tantum circa illas res versatur, quibus illam conservationem & defensionem obtinere possumus: huc spectat legum condendarum potestas, in earum transgressores animadvertendi jus, vitæ necisque imperium in homines facinorosos aliaque id genus; eum in finem imperanti

B

peranti concessa, quia sine lege & poenarum metu societas civilis nullam præstaret mortalibus securitatem, & ut uno verbo dicam, omnia illa ipsi competunt jura, quæ necessaria sunt tanquam media, quibus finem obtinere necesse est; quippe semper consensus ad finem, includit consensus ad media, sine quibus finis acquiri nequit: Furantium enim instar esset, velle & non velle. Quoniam itaque externa hominis beatitudo sit finis societatis civilis, hinc certissimum est, imperium non latius patere quam finem, cujus intuitu introductum est; quia vero hæc beatitudo acquiri nequit sine commercio hominum, ideo summi imperantis est civium actiones ita dirigere, ut quicquid agant, ad communem salutem & utilitatem promovendam referatur, quippe totum Reipub. corpus curando singulorum saluti quoque consulitur: Itaque quisque civis tanquam mem-

membrum hujus societatis, obligatus est actiones suas formare ad illam regulam, quam summus imperans, judicans communi utilitati utilem fore, ipsi praescripsit; quod enim Principi placuit legis vigorem habet, cui obtemperare boni civis est: Verum observandum non omnia, quae Principi placuere, statim legis habere vigorem, ideoque nobis obligationem imponere; quippe si quid statuerit, quod ab aequitate seu ratione recta, vel jure divino morali recedit, id ipsum obligare cives non potest, quoniam talis obligatio excederet finem & scopum, cujus intuitu homines in civitatem coaluere: ejus enim potestas tantum ad ea pertinet, quae dispositioni hominum subjecta sunt scilicet, quae mutabilia sunt & adiaphora; illa autem, quae immutabilia sunt & aeternam causam habent, in quorum numero sunt naturae jura, quae ab aeterna & immutabili causa dimanarunt, rerum di-

vinarum instar extra commercium sunt, & humano subducuntur imperio, ita ut eorum respectu Princeps & civis ejusdem sint conditionis, eâdem scil. indissolubili obligatione obstricti; quippe quantum ad ea non tanquam Princeps, sed ut homo, id est cæteris civibus æqualis, considerari debet l. 32. ff. de R. 7. Rex justus & injustus, honestus & inhonestus regula non est, sed honestus justique minister; Deus ter opt. max. justus rectique unicus fons & origo est. Hinc Boët. *metro. 6. lib. 4.*

Sedet interea conditor altus

Regumque regens flectit habenas

Rex & Dominus, fons & origo

Lex, & sapiens arbiter aequi.

Et Silius Italicus lib. 6. bell. Pun.

Iustitia rectique dator, qui cuncta gubernas.

Judicandi autem illa potestas, num aliquid juri naturæ sit consentaneum nec ne, penes singulos cives residet, quippe quum illa consistat

sistat in contentione & distinctione
diversorum objectorum, quæ ani-
mo ad innata illa honesti rectique
principia tanquam ad Lydium la-
pidem examinanda representantur,
quæ omnia intus fiunt, & cogita-
tionibus peraguntur ad forum ex-
ternum, id est cognitionem summæ
potestatis non pertinent. *arg. l. 18.*
ff. de poenis l. 225. ff. de verb. signif.
ubi vero ex signis externis inter-
noscutur iudicium, de facto quidem
animadvertere potest in eum, qui
iudicio suo obsequens iussa Prin-
cipis tanquam inhonestæ & æternæ
legi contraria, exequi recusaverit,
jure autem nequaquam; 1º. quod
huic iudicandi libertati nunquam
renunciaverit, vel semetipsum ob-
ligaverit brutorum instar cæco
quodam impetu, nullo mentis
discursu præeunte, ea facere, quæ
Princeps ipsi imperaret, quemad-
modum enim imperandi, ita etiam
obtemperandi est modus. *Cic. 3. de*
leg. Deinde naturæ summi imperii

videtur repugnare talis renuntia-
tio; quippe cum illud consistat in
jubendo, vetando, permittendo,
puniendo, requirit subiectum ra-
tione præditum, quod iudicii acu-
mine bonum à malo, rectum ab ini-
quo discernere queat, & ridiculum
fane esset alicui subiecto imponere
obligationem, quâ teneretur ad
faciendum, quod rectum, fugien-
dum quod malum est, si distin-
guendi careret facultate. Qui pos-
sem punire illum, qui culpâ va-
cat? Quis culpari potest, qui non
peccavit? Quis peccare potest, qui
obligationis non est capax? (con-
sistit enim peccatum vel in omissio-
ne ejus, quod facere deberem, vel
in admissione ejus, quod omitten-
dum erat) Quis denique obligari
potest, qui bonum à malo (obliga-
tionis objectum) distinguere non
valet? qui autem iudicandi facul-
tate gaudet, verum eâ non utitur,
par est brutis animantibus cæteris-
que individuis, in quæ ratione & ju-
dicio

dicio carentia nulla cadit obligatio.
2^o. Notandum quod etiam si quis sit
membrum societatis civilis, tamen
non desinit esse homo, id est de-
pendens a Deo creatore, tanquam a
causâ primâ, cui & essentiam &
existentiam suam debet; hæc au-
tem dependentia, quia necessaria
est, illum necessario reddit subje-
ctum imperio divino, cui semet-
ipsum nullâ ratione subducere que-
at, quia nunquam potest esse inde-
pendens: obligationes autem, quæ ab
hoc imperio dimanant, vel perpetuæ
& immutabiles sunt, vel non; perpe-
tuæ sunt, quæ semper & ubique in
omni vitæ genere hominem obli-
gant, cujus naturæ sunt omnes obli-
gationes morales seu naturales, ut-
pote quæ fluunt ex ipsâ naturâ di-
vinâ, quæ nullis mutationibus
obnoxia est; talis est illa obligatio
generalis & universalis, quâ tene-
mur malum fugere & bonum se-
qui: dicitur hæc universalis, quia
in omnibus vitæ partibus, & in

quocunque statu & vitæ genere locum sibi vindicat, quippe nulla conditio extrinseca homini adveniens immutare vel tollere potest conditionem intrinsecam, quæ homini tanquam a Deo dependenti semper inhæret, ideoque illa obligatio est summa & finis omnium legum, quamobrem lex in genere definitur regula justorum & injustorum, præceptrix faciendorum, & prohibitrix non faciendorum, præcipiuntur, quæ bona sunt, prohibentur, quæ mala sunt, ideoque præsidem esse bonis & malis, inquit Chrysippus *in l. 2. ff. de leg.* Huic obligationi seu legi a nullo subjecto fatisferi potest, nisi ab eo, quod prælucente lumine rationis, rectum ab iniquo, bonum a malo discernere valet: Quoniam itaque Deus voluerit hominem huic legi alligatum esse, justitiæ suæ conveniens erat, ipsi simul largiri rationem, ut judicandi inter bonum & malum facultate præditus,

ditus, obligationis esset capax. Quia vero hæc lex perpetua & indispensabilis est, dum necessario fluit ex ipsâ naturâ divinâ, ita ut nequidem ab ipso Deo possit immutari, ejusdem naturæ quoque debet esse obligatio, quippe effectus semper est similis causæ, a quâ producitur, si immutabilis & perpetua sit obligatio ad faciendum quod bonum, fugiendum quod malum est, ergo etiam ad judicandum quid bonum vel malum sit, quia hoc est medium necessarium, quo obtinetur finis, qui vult antecedens, etiam vult consequens, sine quo antecedens ad effectum perduci nequit; consequenter itaque qui nos obligavit ut faciamus quod honestum & bonum est, abstinemus a malo, ille nos simul obligavit, ut horum omnium, quæ a nobis peraguntur haberemus rationem, num huic legi sint consentanea, id est ut judicandi nostrâ potestate (fundamento obligationis)

nis) utamur in omnibus actionibus, quæ a nobis proficiscuntur; quemadmodum vero non possumus renuntiare huic obligationi propter jam allegatas rationes, ita neque potestati judicandi de rebus omnibus, quæ nobis obveniunt, num bonæ vel malæ sint, ut nobis constare possit, quid facere, quid omittere debeamus. Verum observandum homini non eandem competere libertatem in exequendo, quam habet in judicando; judicandi libertas potest versari circa honestatem vel turpitudinem omnium rerum tam moralium quam civilium, exequendi facultas tantum ad eas pertinet, quarum honestas vel turpitudinis moralis nos obligat, aliquid facere vel omittere; ita ut summa potestas nobis impedimento nequeat esse, ut faciamus ea, quæ recta ratio seu lex naturalis jubet, omittamus quæ prohibet; quod vero ea attinet, quæ bona vel mala sunt, quia summus

mus

mus imperans quædam jussit vel prohibuit, possumus intus quidem judicare, num benè vel malè prohibita vel jussa fuerint, quippe cogitationes extra legis pœnam sunt, quia sunt fori interni, verum non possumus actiones judicio nostro conformare, id est non possumus quæ Princeps vetuit facere, quia imperavit, omittere, quia semel huic libertati renuntiaverimus, nostram que voluntatem summi imperantis arbitrio subjecerimus, ut pro lubitu de eâ disponderet, pro ut salutis civitatis expediret, semper autem præsumendum est illum ea voluisse nobis injungere, quæ judicavit utilia fore societati, cujus cura ipsi incumbit, ideoque obstricti sumus ipsi obedientiam præstare, nisi evidens sit id ipsum, quod civibus imposuit, sibi quidem privatim expedire, Reipub. vero minimè: hoc in casu cessat obligatio, quia cessat obligationis causa; eâ quippe intentione in eum imperium collatum

tum esse diximus, ut per id procuraretur finis, ob quem civitates sunt institutæ, finem hunc diximus fuisse conservationem communis salutis & tranquillitatis, in quâ consistit externa hominis beatitudo, scil. ut tuti præstentur homines ab omni perturbatione, metu & impedimento benè vivendi, ut summus imperans prospiciendo civibus suis suppetat omnia media, quibus possint in benè vivendo promoveri: Hinc regis est voluntates civium ita temperare & dirigere, pro ut expedit saluti societatis seu civitatis, improbos poenarum metu coërcere & suppressere, ne perturbetur vitæ tranquillitas & fortunarum quietâ possessio & usura, alios præmiis invitare ad communem salutem & utilitatem promovendam *l. 1. ff. de Just. & iur.* omnibus denique viribus incumbere ad finem, cujus intuitu mortales in societatem coaluere, obtinendum; quoniam itaque imperii

perii finis est, ut homines externâ
hac beatitudine frui possent, non
latius patere potest, quam illa bea-
tudo sese extendit, quæ semper
refertur ad corpus; quamobrem illa
obligatio, quâ tenemur obedi-
tiam præstare summis imperanti-
bus, tamdiu nos obstringit, quam-
diu intra limites imperii sui manet
imperans, tamdiu vero intra limites
manet, quamdiu finem, quo mor-
tales inducti in societatem coive-
runt, non excedit. Notandum vero
quod in principio nostræ disputa-
tionis diximus, omnem potestatem
fundatam esse in voluntate & con-
sensu populi, itaque non potest ul-
terius extendi, quam ista volun-
tas; quoniam vero supra ostendi-
mus homines propter innatos ve-
hementissimos stimulos, quibus
instigantur ad conservandam liber-
tatem & animi & corporis, quam
semel nacti fuerint, tantum de eâ
voluisse imminuere, quantum soci-
etas civilis postulabat: ideoque quia

externa beatitudo sit finis societatis, intentio & voluntas eorum, ex quorum concessione imperium originem suam habet, tam strictè interpretanda est, ut nulli fini applicari debeat, quam de quo cogitavêre illi, qui sibi talem finem proposuêre; quippe quia hæc renuntiatio libertatis est res homini non admodum favorabilis, secundum communem regulam, restringenda potius est, quam extendenda, quoniam itaque finis & intentio eorum, qui summum imperium constituêre, circa bona corporis ejusque beatitudinem versaretur, præsumendum est tantum de libertate detrahere voluisse, quantum ad illum finem obtinendum necessarium arbitrati fuêre; libertas enim res adeo favorabilis est, ut quoties dubia est interpretatio, semper secundum libertatem respondendum sit, ut inquit Paulus Ictus *in l. 20. 120. §. 179. ff. de R. 7.* hinc imperium ita moderan-

derandum est, ut semper voluntati concedentium respondeat, alioquin caret vi obligandi; sublata enim causâ, tollitur quoque effectus, cessante causâ obligationis, quæ est voluntas populi, ipso jure cessat obligatio, consistens in subjectione & obedientiâ.

Quæ cum ita sint, ipsa ratio, quâ *duce nullo pacto errari potest*, ut inquit Cic. *de leg. lib. 5.* nos docet, quam iniquum, quam ab omni ratione & jure alienum, quam injustum denique sit dominium, quod summi imperantes in animum & conscientiam suorum civium usurpant; injustum merito vocatur, quia omni justo possidendi titulo destitutum est, ita ut nulla justa possessionis causa allegari possit, quam injusta vis, cui resisti nequit, ubi vero justus titulus deest, ratio juris prohibet possidentes dominium quærere *l. 24. C. de rei vind. l. 7. C. de acquir. possess.* Unde ita argumentor, ubi deficit voluntas populi, deest justus,

justus imperii titulus, respectu vero domini, quod in animum & conscientiam summi imperantes sibi arrogare velint, deficit voluntas & consensus populi, ergo deest justus acquirendi domini titulus, & consequenter imperium, quod in animum excercet, injustum & iniquum dicitur. Certissimum enim est, imperium, quod Rex vel Princeps possidet, vel habet a se ipso, vel ab alio; a se ipso habere nequit, quia naturâ omnes homines liberi nascuntur, ideoque sibi invicem æquales sunt, ita ut alter in alterum aliquod sibi imperium vindicare nequeat, nisi consentiente socio (quamobrem omne imperium a consensu originem suam derivare diximus) ergo habet ab alio; si ab alio, non plus juris sibi arrogare potest, quam in se translatum est. Probavimus autem homines non voluisse majus imperium conferre in eum, qui societati præesset, quam ejus finis requi-

requirebat, quoniam itaque iste finis ad corpus ejusque salutem refertur, ultra extendi imperium ratio & juris æquitas non patitur, quo subsistit voluntas, eo subsistit etiam imperium. Imo etsi voluissent in animum quoque in Principem conferre imperium, non potuissent tamen, quia tale imperium est extra commercium hominum, soli Deo competens, ideoque neque consensu, neque contractu vel pacto, aut stipulatione, præscriptione, vel aliâ quacunque ratione acquiri potest. *l. 83. §. 5. ff. de verb. oblig. quod nullius esse potest, id ut alicujus fieret, nulla obligatio valet efficere. l. 182. ff. de R. 7.* Verum hæc non ita explicanda sunt, quasi omne omnino imperium in animum summo imperanti eripere vellem; contra tribuimus ipsi imperium, eatenus scil. quatenus jure possit cogere voluntatem suorum civium ad producendam actionem, quam communi salutem utilem, & fini societatis infer-

fervire judicavit, id ipsum fit vel
minis, vel reali executione, quæ
corpori applicatur, ut poenarum
infectio, quæ corpus fatigatum
animum ita afficit, ut fatius esse
ducat actum illum exteriorem pro-
ducere, quam diutius corpus pœ-
nis subicere: alias voluntas per
se humano imperio cogi ne-
quit, quamobrem homo constans
& ad quævis mala & tormenta
preferenda paratus, vix ad officium
revocari potest, nisi ab eo, in cu-
jus manu sunt regum corda, ea-
que quocunque velit, flectit. Hoc
autem remedium toties a summo
imperante jure adhibetur, quoties
societatis finis, quem externam
hominis beatitudinem vocavimus,
id flagitat: Quod si autem eadem
vellet potestate uti respectu eo-
rum, quæ ad animi salutem perti-
nent, ut ea quoque a suo pen-
derent arbitrio, impunè huic re-
sistimus, quia non sunt istius fori
aut suæ jurisdictionis (ut ita dicam)
ex-

excedenti enim fines imperii sui impunè non paretur *arg. l. 20. ff. de Jurisdic. Deficit enim hic populi voluntas, deficiente autem voluntate deest justus imperii titulus, & consequenter totum corruit imperium, tanquam fundamento suo destitutum, simulque evanescit obediendi obligatio. Hoc itaque sensu diximus dominium in animum & conscientiam soli Deo, eorum scrutatori, competere, eodemque sensu Salvator noster imperium in animum distinguit ab imperio in corpus, prius Deo, posterius hominibus tribuit; cum inquit *Matth. 10. & Luc. 12. Ne timete vobis ab iis, qui trucidant corpus, animam vero trucidare non possunt: Sed timete potius eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehenna.* Poena, cujus mentio hic fit, non tam corpori, quam animæ infligitur, quamvis propter arctissimam conjunctionem animi & corporis ambo pati dicantur,*

tur, quando vel corpus vel animus aliquo afficitur malo, propriè tamen loquendo non potest corpus esse subjectum ultimi hujus supplicii, quia consistit in perceptione gravissimi doloris, quem capit ex absentia & privatione summi boni, scil. suavissimæ consuetudinis & communionis cum Deo, in quâ ejus summa beatitudo & unica salus reposita est, quia autem usura vel privatio istius boni, id est mors & vita, poena & præmium, dependet a liberâ voluntate Dei, qui ipse nostrum summum bonum est, hinc nemini imperium in animum, nisi soli Deo tribui potest, quia nemini nisi Deo in animam executionem faciendi potestas est, ut videre est in loco allegato; otiosum vero & inane imperium est executione destitutum. Ab hoc imperio diximus quasdam dimanare obligationes seu leges, quæ semper & ubique & in omni vitæ genere hominem adstringunt ad
fa-

faciendum quod bonum est, omit-
tendum quod malum est, præ-
mium boni est æterna beatitudo &
vita, mali poena æterna mors, illa in
usurâ, hæc in privatione summi boni
consistit.

Judicium intellectus, cognitio-
ne legum imbuti, circa actio-
nes morales, dictans nobis quid
bonum, quid malum sit, ideoque
quid faciendum, quid fugiendum
est, vocatur conscientia; hujus
vero conscientia regula est vo-
luntas Dei revelata, quâ homini
præscribitur & indicatur officium
suum cum erga Deum tanquam
suum creatorem, tum etiam erga
seipsum & proximum suum, quic-
quid autem illa nobis circa agenda
& omittenda dictat, id ipsum de-
bet esse norma & regula nostra-
rum actionum, a quâ recedere non
possumus, quin transgredieremur
legem a Deo nobis præscriptam,
& consequenter ultimo essemus
digni affici supplicio; Quod Deus
enim

enim imperat, id necessario a nobis exequendum, ita ut ejus executio à nemine impediri queat; quoniam respectu eorum, quæ a Deo jubentur, omnes simus æquales, ejusdemque conditionis, ita ut eadem omnibus imposita sit obediendi obligatio, tam Principi, quam civibus, propter dependentiam, quæ omnibus communis est, quamobrem nihil potest civibus injungi ab humano imperio, quod conscientiæ repugnaret, quoniam hoc idem esset ac si disponere vellet de iis, quæ humanæ potestati non subjiciuntur. Hinc dicimus propriè, directè, & immediatè & per se nihil obligare conscientiam præter legem divinam, quia conscientia vel anima nemini propriè subjicitur, nisi Deo, quoniam homines neque de conscientia judicare, neque eam punire queant, si deliquerit. Quod aliquando humanæ leges dicantur conscientiam obligare, id ipsum
fa-

faciunt, quatenus participant naturam & vim legis divinæ, ita ut illa obligatio non descendat ex voluntate legem ferentis, verum ex conscientia, dictante nobis illud, quod præcipitur, voluntati Deo convenire vel repugnare, ideoque vel faciendum, vel declinandum esse. Quicquid itaque conscientia dictat, id voluntas Dei nobis imperat, cui obtemperare indissolubili tenemur obligatione, quâ nosmet ipsos nullâ ratione liberare valeamus, nisi obediendo & exequendo, quod nobis dictavit. Quamobrem nullum humanum imperium in conscientiam agnoscimus: 1. Quod nulla potestas humana, quamvis absolutissima, possit disponere de voluntate Dei, cui subicitur (omne enim regnum sub regno graviore est) ergo neque de conscientia, quicquid enim illa dictat, dictat sub ratione voluntatis divinæ: 2. Quia, quæ a Deo vetantur vel prohibentur, semper

Per

per habeant in se respectu nostrum
 moralem necessitatem, quâ tene-
 mur, quæ jubentur, omittere, facere
 quæ vetantur; quæ autem moralem
 in se habent necessitatem à nemine
 mutari posse, omnes fateri necesse
 habent, propriæ conscientiæ te-
 stimonio convicti: 3. Quoniam
 voluntas populi hic deficit, defi-
 ciente voluntate, deficit quoque
 potestas, ut supra disputavimus: Et
 quidem duplici modo hic dici po-
 test voluntatem deficere; *ratione*
impotentia, & *ratione intentionis*,
 ratione illius, quia homo est
 ens, necessariò dependens a Deo
 tanquam primâ causâ, illa autem
 dependentia, quia necessaria est,
 illum necessariè reddit subjectum
 imperio divino, & consequenter
 voluntati Dei, ex hac voluntate
 descendunt obligationes, quibus
 eâdem necessitate obtemperare
 tenemur, quâ debemus esse sub-
 jecti imperio divino propter neces-
 sariam dependentiam; quoniam
 vero

vero dictamen conscientiaë nihil aliud fit, quam divina voluntas nobis revelata, ita quicquid illa nobis imperat facere, quicquid prohibet ab eo abstinere eodem juris vinculo adstringimur, ideoque contrarium huic dictamini nihil agere possumus, quia de voluntate Dei disponendi nobis nulla competit facultas; si nobis nullum in propriam conscientiam est imperium, consequenter illud non possumus transferre in alium, *nemo enim plus juris in alium transferre potest, quam ipse habet l. 54. ff. de R. i.* Quia vero imperium, quod Rex vel Princeps possidet, a nullo quam a me ipso habere potest, ergo non potest esse melioris conditionis, quam ego, a quo jus in ipsum transiit *l. 175 ff. eod.* scilicet non potest amplio rem habere potestatem, quam ipse habui, in cuius jus successit. Ratione intentionis deest hic quoque voluntas, quia constat ex iis, quæ in principio hu-

C jus

jus dissertationis disputavimus, non ex liberâ voluntate aut inclinatione erga societatem civilem, sed metu periculorum, quæ sibi in statu naturali degentibus a se invicem imminebant, ideoque necessitate quâdam coacti, semetipsum libertatis naturalis quodammodo jacturam facientes summo subjecisse imperio, quod tot tantaque pericula, quibus expositi erant, à capite & corpore propulsare valeret; præsumendum itaque non est, ampliorem in eum, cui societatis regimen permittebant, potestatem contulisse, quam necessitas postulabat; qui enim aliquid coactè facit non præsumitur plus de jure suo remississe, quam necessitas ipsi extorserit, quoniam autem societatis finis est, periculorum a vitâ & corpore propulsatio, ut tranquillè beatèque sine insultu & metu quorundam perditorum hominum, vitam transigere

gere liceat, imperium ultra illum finem extendi, ratio & æquitas non patitur. Quicumque hæc animo suo benè perpenderit & cum rectæ rationis dictamine contenderit, luce meridianâ clarius videbit, horrendam iniquitatem illorum dogmatum, quibus Romanæ religionis antistites dominium in conscientiam defendere conantur, ideoque Regibus & Magistratibus potestatem concedunt, quâ possunt cives suos ad Papiasticam fidem, quam solam, unicam, veram, Catholicam & Apostolicam statuunt, (seu fingunt potius,) corporaliter, repugnante conscientia, compellere. Quæ suaderi debet, cogi volunt; quod ex liberâ voluntate proficisci voluerit Christus *Act. 2. 10.* metu, vi, armis, extorquent. Sed non mirum, quippe perversa illa & ad proprium commodum excogitata religionis suæ dogmata, adeo

C 2 absur-

absurda & ab omni ratione aliena sunt, ut unusquisque, cui mens sana est, ab iis abhorreat, quam obrem ad posterius ipsis confugiendum, quia prius inutile & inane est propter evidentem absurditatem, quæ nullâ ratione tegi potest. Hinc quotidie in ore habent, non inquirendum, sed credendum vobis est oves dilectæ, non ratiocinationem, sed cæcam obedientiam fides postulat. Non divina voluntas, sed Papæ figmentæ & ridicula somnia conscientiæ & fidei regula vobis esto. Ita ut non homini, sed brutis animalibus similem esse oporteat, qui verum, justum & sincerum Romanæ Ecclesiæ esse velit membrum; scilicet non ratione vivere, sed pecorum ritu antecedentium sequi gregem, cujus ipse Papa caper est, quem cætera armenta sequuntur: Si quis cæco impetu, nullo adhibito mentis discursu

si falsa & ad propriam utilitatem promovendam excogitata dogmata amplecti recusat, antequam ad rectam rationem & conscientiæ dictamen, tanquam ad Lydium Lapidem examinaverit, ut ipsi constare queat, num vera, justa & voluntati divinæ consentanea sint, vel an falsa & ab eâ declinent, statim pro hæretico habendus & omni suppliciorum & tormentorum genere prosequendus est, quippe sacrilegii instar est dubitare de veritate eorum, quæ a Papâ, universam Ecclesiam repræsentante, traduntur & præscribuntur, & jam ab immemoriali tempore pro vero habita fuisse affirmantur: Quemadmodum Romana Religio multa gentilium superstitionibus habet simillima, ita etiam ad eorum exemplum *Religiones sibi a majoribus suis traditas, pertinacissime tueri, ac defendere perseverant: nec considerant quales sint.* Ex hoc

probatas & veras esse confidunt, quod
 eas veteres tradiderint: tantaque est
 auctoritas vetustatis, ut inquirere
 in eam scelus esse ducatur. Itaque
 creditur ei passim tanquam cognita
 veritati. Lactant: lib. 2. cap. 9. &
 lib. 5. cap. 19. de iisdem inquit: In-
 herentes persuasioni vulgari libenter
 errant, & stultitia sua favent, a qui-
 bus si persuasionis ejus rationem requi-
 ras, nullam possunt reddere, sed ad
 majorum judicia confugiunt, quod
 illi sapientes fuerint, illi scierint quid
 esset optimum; seque ipsos sensibus spo-
 liant, ratione abdicant, dum alienis
 erroribus credunt. Eodem modo
 respondebunt Romanæ Ecclesiæ
 oves innocentissimæ, si quis ab iis
 fidei, quam profitentur, ratio-
 nem postulat, scil. Ecclesiam vel
 Papam, divinarum & humanarum
 rerum arbitrum, ita sentire, ita
 ante multis seculis prædecessores
 ejus, imo ipsum Petrum, cujus
 simia est, ita de fide sensisse; quod
 autem

autem Papa opinatur id ipsum ab ipso Petro, cujus successor est, accepisse, (quemadmodum Numa Pompilius a Deâ Egeriâ leges accipiebat de sacris instituendis) ideoque verum & justum esse infallibiliter credere debeamus. Noli itaque inquirere, sed credere, & fitis sine ratione creduli: Papæ summo Ecclesiæ Pastori summum Dii dedere judicium, nobis obsequendi gloria relicta est. De hisce merito dicere licet, quod nihil ultra illud **CREDE** sapiant. Nihil magis ipsis antistibus curæ est, quam vulgum non solum, sed & Principes in hac innocentia & simplicitate, quantum possunt, continere; ut habeant unde infatiabili avaritiæ & habendi cupiditati satisfaciant. Imprimis nonnullis ex monachorum ordine hæc vulgi innocentia magnas attulit ope-
pes: hi enim non multum post adventum nostri **SALVATORIS**, in pu-
blicis

blicis ad populum concionibus quotidie declamabant, mundi appropinquare finem, ideoque, si æternam vitam & beatitudinem sibi acquirere vellent, bona & facultates, quas possidebant, pauperibus donarent: Vulgus autem æternâ sanctimonix larvâ & fucatæ religionis specie deceptus, facile sibi persuadebat, brevi futurum, quod illi impostores prædicebant, ideoque libenter bona & divitias, tanquam res fluxas & fragiles, quæ nullo usui ipsis magis forent, abjiciebant, ut æternam vitam sibi compararent; verum non diu jacebant pro derelicto, undique enim ad eas diripiendas advolabant superciliosi monachi, tanquam aquilæ ad cadaver. Ne quis autem ex odio, irâ, vel invidiâ, quæ animum a vero sæpe flectunt, hæc dicta putaret, audiamus *Vasquium* ejusdem religionis socium ita differentem de totâ religio-

gioso-

gioforum cohorte lib. I. illustr. controv. cap. 8. §. 3. ubi hæc de eorum avaritiâ prædicat. Vigesimo octavo deducitur etiam ex nostrâ sententiâ, quid respondendum sit de subsidis charitativis, quæ a subditis exigere possunt Papa, Patriarchæ, Cardinales, Primate, Archiepiscopi, Episcopi. Quæ sanè, ex mente ipsorum iurium, non nisi ex necessitate urgentissimâ debent imponi, aut exigi, & quando exigens aliunde sibi consulere non potest, quâ de re fuse Nicol. Bocer. decis. 133. Ipse post plures, quos allegat, disputat, an is Prælatus ad solutionem istius subsidii per excommunicationem procedere possit; quod quasi durum abnegare plerique videntur, ne ipsi in causâ suâ sibi jus dicere videantur. Ipsi autem (inquit) istæc omnia pessimè servant, nam & eorum ditissimi non raro, & necessitate minimè urgente, vel quam aliunde reparare facile licebat, id exigunt à pauperibus subditis,

nec pudet falsis mentitisque nominibus, teterrimam illam rapinam charitativum subsidium appellare! O quam deceptus erat prudentissimus jurisconsultus, qui in l. si quis fundi vocabulo ff. de leg. 1. Scripsit: Rerum vocabula immutabilia esse, non suspicatus quippe fuit, tale unquam fore tempus, quo vitia etiam turpissima, mentis virtutum nominibus, induerentur armarenturque, fierent ut sic inexpugnabilia. Istorum ergo hominum mores (si hominum & non demonum nomine digni sunt) presagiabat prudentissimus Cicero, dum scriptum reliquit ita lib. 1. offi. Nulla generi humano & justitia major pestis est, quam eorum, qui cum maxime fallunt, id agunt, ut boni viri esse videantur; id quod, ut nobis videtur, in iis rectissime ac dilucide invenies, qui honestis, mentitis tamen nominibus sua teterrima facinora tegunt, cujus nefandi & infausti moris, docile in prava humanum genus, probe novit

vit & servat. Quod si discere cupis, quorsum quævis ad opera tales pecuniarum collationes a miseris plerumque personis exigantur, paucis exponam: ut immensa pecunia & divitiæ ad tales Prælatos confluant, hocque insuper eorum addatur acervo. Quid inde? ut omnes egenorum possessiones, agros, campos, annuos redditus, census, & denique omnes fortunas, facultates, & substantiam emant, & comparent, liberis & nepotibus suis concedant, & relinquunt: sicque ea bona, quibus innumera hominum millia alebantur, ad perpaucos deveniant. Quid tunc postea? Quid rogas? in promptu perniciæ est: nonne si in quâdam provinciâ, per hos modos aut similes, ad homines (verbi gratiâ) centum, universa regionis substantia defluxit, necesse erit, ut innumera hominum millia, vel fame pereant, vel his ditioribus, ut servi & mancipia servire cogantur? Id quod jam evenisse in latissimâ Hispaniarum regione,

gione, & patriâ nostrâ, & cum magno nostro & lugubri malo experti sumus, ut jam omnes universique homines illic (paucis divitibus exemptis) tam nudi nascantur, quam jumenta nascuntur, quasi servi, & mancipia, eo quod aeternum pauculis istis ditioribus servire cogantur & necesse habeant, nisi fame perire malint, aut a patriâ dulci exulare. Utinam hæc Reges Principesve ad animum revocarent! Utinam perpenderent, quantum damnum ab istis hominibus, qui ejusmodi in vulgus disseminando dogmata, regno imminet, qui privatorum facultates devorando, Principum quoque gazas deripiant, & simul ipsum majestatem, venerationem, atque auctoritatem spoliant, destituuntque; nulla enim majestas illibata, atque intacta ab improborum hominum pestiferis machinationibus servari potest, sine imperio. Inane autem imperium sine viribus? unde vires, ubi facultates defi-

deficiunt? Sed nota Pontificum
astutia, qui hac ratione potissimum
gladium sub gladio, id est tempora-
lem auctoritatem potestatemque
spirituali subjici posse sciunt. Hinc
Papæ hodie regnantis unicus sco-
pus est, per emissarios suos Jesui-
tas (hominum genus ad quævis exe-
quenda idoneum) Galliarum Re-
gem quâcunque ratione instigare,
ad prosequendos majestatem ejus
venerantes & tenerrimo erga sacra-
tam ejus personam flagrantis amo-
re reformatos, scil. ut multipli-
centur oves, quas non solum
tondere, verum etiam deglubere
solet, & consequenter accessione
ovium augendo potestatem suam,
Ecclesiæ maximum natu filium,
qui regaliorum liberam dispositio-
nem sibi vindicans videtur suam
falces in ejus messem in injicere,
ad officium possit revocare: Ve-
rebatur fortasse, ne aliquando Gal-
liarum Rex stipatus validissimâ
C 7 pro-

protestantium manu jugum Sacerdotale abjiceret, & semetipsum in libertatem assereret, quod irreparabile fuisset damnum usurpatæ potestatis Papalis, quoniam itaque sibi persuadebat è longinquo id providere, fatius esse arbitrabatur in tempore huic malo occurrere, quam post vulneratam causam remedium quærere, quamobrem Jesuitarum astutiâ usus fuit, quâ Regis excelsum & fortem animum, qualem Principem oportet habere, occupavit, & paratum reddidit, ad quævis regno perniciosissima capeffenda consilia, adversus fidelissimos cives suos, quorum fidem, amorem, & propensam erga personam suam voluntatem millies expertus est; verum benevolentia & fidei testimonia nihil valuere, post quam pestiferis quorundam impostorum de reformatâ religione opinionibus animus Regis infectus erat, quisque statim incitabatur vel cogeba-

gebatur manus commodare ad eam
extirpandam : Ex duobus malis
jam est alterum eligendum , vel
MORS vel MISSA ; imo sæ-
pissime supplicia morte longe gra-
viora perferenda sunt in fide per-
manentibus , antequam vitam cum
morte commutare liceat. Non opus
est ut hic repetam inaudita & nun-
quam excogitata tormentorum
genera , quibus reformatos cogere
conantur , ut tandem fatigati tot
cruciatibus fidei renunciarent , quo-
tidie illa cum ex ore illorum intelli-
gimus , qui ex manibus homi-
num furentium , sanguine Re-
formatorum madentibus & rutilan-
tibus evasi ad nos confugiunt , tum
etiam ex quibusdam Historiis ad
æternam memoriam tot detestan-
dorum facinorum nobis relictis ,
perspicere possumus. Quis non in
summam admirationem rapitur ,
qui animadvertit Regem benevo-
lentiâ , amore , & clementiâ erga
cives


cives suos, illustrium majorum
suorum facile Principem, tam su-
bito tantâ adversus eosdem iracun-
diâ inflammatum, ut vix aliquod
illarum virtutum supersit vesti-
gium. Nullâ aliâ de causâ, nisi quod
recusent religionem & fidem am-
plecti, divinæ voluntati, id est con-
scientiæ dictamini repugnantem,
cujus intuitu nullius nisi divino im-
perio subjecti sumus, ut supra pro-
bare conati fuimus. Hinc inquit
Apostolus *satius est obtemperare Deo
quam hominibus*. Quæ dilucidè do-
cent, parendum esse summæ pote-
stati, modo justa sint & Dei vo-
luntati, id est conscientiæ nostræ
convenient, quod si eam læderent
satius est obtemperare Deo, quam
hominibus; quippe talia mandata
non obligant, quia summus impe-
rans talia imperando finem suæ po-
testatis excedit, ideoque ei impunè
non paretur. Recta quoque ra-
tio id ipsum nobis dictare videtur,
quo-


quoniam ipsi Ethnici imperia magistratus exequi declinarunt, quando conscientia repugnabant; sic sceleris patrati patrocinium non suscepit Papinianus, quamvis imperati a Principe. Idem Vasquius quem supra allegavimus *cod. lib. 5 cap. 12.* affirmat, Principes temporales nullam habere potestatem supra animas civium suorum; ideoque nullum ad fidem cogendum esse; quia voluntarium militem Christus elegit. Sciebat vir doctrinâ & ingenii acumine conspicuus; non intrudi pietatem, sed instillari mentibus; non impingi, sed infundi; non imperari sed suaderi; non cogi, sed doceri velle; non a vi, metu, aut armis, vel quâcunque humanâ ope, sed a solâ Dei pendere voluntate: quam obrem *Dominium Dei vocatur; Non debent injici mentibus vincula, voluntates ad studium vera religionis allici & invitari debent, non cogi;* inquit


Oso.


Oforius quamvis Pontificius & Episcopus *lib. de rebus Emanuelis Lusitaniae Regis*, & idem omnes cum ipso sentire debent, qui non omnem prorsus rationis usum contemnunt, & tanquam impietatis fontem damnant. Hinc itaque jure concludimus, omnem vim, quæ conscientiae infertur, injustam esse & vi posse repelli: (ubi enim injusta est offensio, defensio justa est) quia respectu conscientiae considerari debeo tanquam in statu naturali vivens, id est nullius nisi divino imperio subjectus ideoque Principi æqualis, in statu naturali viventes æquali gaudent potestate, id est si quis ab alio invaditur, resistendi & vim vi repellendi ipsi facultas competit, docet id ipsum prima & fundamentalis naturæ lex scil. *Sui ipsius conservatio*, omnium legum naturalium, quatenus hominem respiciunt.


F I N I S.














df 957 6
5


Konten


fu

19. 2. 57.

● X 261 2370



VD 77





B.I.G.

Farbkarte #13



DISSERTATIO

DE JURE

MÆ POTESTATIS

ca conscientiam civium.

AUCTORE

recte Rationis dictamine.

Lf 358



COLONIÆ;

NICOLAUM SCHOUTEN.

M. DC. LXXXVI.

